



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De homine, qui per serpentem punitus est in collo, quia dolosè egerat in matrem, cap. 22.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13177**

plures secularium, pecuniam dederunt reseruandam. Paruo emenso tempore, cepit ille simulator a simulato rigore discedere, bibere vinum, carnes comedere, orare rariùs, dormire diutius. Quod cū ei fuisset obiectum, respondit: Ego ad tempus a sacerdote huiusmodi obseruantias suscepi. Quid plura? Tandem clāculò discedens, pecuniam commendatam detulit, & quam damnosum vitium esset duplicitas, operibus ostendit. Quo audito, \* Christianus tale verbum re-

\* *Dece-  
nus Bon-  
nensis.*

pondit: Eia fratres, certè, animam meam pro nullius animam dabo. De huiusmodi trufatoribus plurima deceptionum genera, temporibus nostris gesta, tibi dicere possem, sed non sunt edificatoria. Vis nunc audire quali pœna Deus sæpe puniat in præsentī vitium duplicitatis & astutiæ? APOLLONIVS: Volo & desidero. CÆSARIVS: Audi ergo.

## CAPVT XXII.

Iuuenis quidam secularis de Mosella natus, si bene memini nomine Henricus, matrem simplicem, verbis quidem mellitis, sed intentione venenata, tali modo circumuenit. Mater, inquit, peto vt omnibus tuis bonis, feudis scilicet & allodiis, solēniter renuncies, & me illa suscipere sinas, vt sic eorum gratia vxorē ducere valeam honestiorē: omnia mea tua sunt, & ego tibi honestiùs providebo. Mater in filio serpentis astutias nō obseruās, petitionibus eius annuit, omnium suorum vsu fructu resignato, immemor dicti sapientis: Melius est vt filij tui te rogent, quam te respicere in manus filiorum tuorum. Quid plura? Sponsa introducitur, & mater expellitur; quæ cū egeret, & quotidie plangeret, ille obturauit aures, ne gemitus matris audiret. Die quadam cum vxore in mēsa sedēs, & ostiū pulsantis, vocē matris intelligēs, ait: Ecce, iterū diabolus clamat ibi: dixitq; puero suo: Vade, & pone pullū istū in cistā, donec recedat. Quod cū factum fuisset, & illa intromissa, dū filio supplicasset vt sui miseretur, cū multo verborū turbine expulsa est. Tūc ille ad puerū: Refer, inquit, nobis pullū. Puer verò, vt cistā aperuit, nō in scutella pullū, sed serpentē cōpli-

*Duplex  
etiam in  
hac vita  
à Deo pu-  
nitur.*

*Eccli. 33.*

eatum conspexit, qui territus, rediens quid videret, domino renuntiavit. Post quem missa ancilla, dixit se similia vidisse. Ille sibi putans illudi, ait cum indignatione: Etiam si diabolus fuerit, ego tollam eum. Et surgens de mensa, mox ut se in cistam ad leuandam scutellam inclinavit, serpens collo eius insiliens, ut vitium duplicitatis congrue puniret, circa eius guttur se colligando duplicavit: cum comedente comedit, & quotiens ei subtraherentur cibaria, vel adhibebantur aliqua, quibus deponi deberet, instrumenta, ita collum hominis strinxit, ut intumescere facie, oculi de sedibus suis mouerentur. **APOLLONIVS**: Merito autem videtur mihi punitus per serpentem, quia sicut diabolus per serpentem Euam decepit, ita per istum, mulierem simplicem circumuenit. **CAESARIVS**: Recte sentis. Tredecim anni sunt elapsi, plus minus, ex quo ista contigerunt. Nam ductus est idem Henricus in caruca per prouinciam nostram, ad diuersa sanctorum limina, & viderunt eum multi, quem praedicta mater, poenae eius compatiens, materno affectu sequebatur. Circa eadem tempora vitium duplicitatis & astutiae a supra dicto Philippo rege Franciae, tali ordine deprehensum, terribiliter est punitum.

## CAPVT XXIII.

**H**abebat idem Rex in ciuitate Parisiensi Praepositum, qui cuiusdam sui conciuis vineam concupiscens, ut sibi venderet illam, importune nimis instabat. Respondente ciue, sicut Naboth respondisse legitur Achab Regi Israëli; Viuit Dominus, quia non vendam tibi patrum meorum hereditatem, eo quod nulla ad hoc me compellat necessitas. Praepositus minas intulit, sed non profecit. Contigit ut interim homo moreretur. Quo cognito, Praepositus effectus hilarior, huiusmodi dolos, sicuti homo astutus, nimis ad suam perniciem excogitauit. Duos siquidem ex Scabinis, ut sibi testimonium falsitatis ferrent, pecunia corrupit, cum quibus, sicut condictum fuerat, mox intempesta nocte, defuncti sepulchrum adiit, terraque eiecta, in fossam descendit, & sacculum pecuniae,

3. Reg. 21